

stola ad sextam Synodum œcumenicam; dum, excitatis gravissimis controversiis, causam fidei a sanctis Sacerdotibus finiri, supplicavit, in spem optatissimæ pacis, Imperio suo restituendæ: *In pace namque fidei, inquit, pariter compactam a Christo dilectam Rempublicam nostram, confidimus.*

## §. 3.

Opponunt tertio loco Novatores, multas Theologorum arbitrio permitti gravissimas controversias, uti sententiam de Immaculato Virginis conceptu, quam nec Concilium Tridentinum, nec Romani Pontifices definiendam, judicaverunt.

Verum longe aliter se res habet impræsentiarum. Nulla etenim Scripturarum aperta testimonia suppetunt, nulla Ecclesiæ facta revelatio, nulla Patrum imperturbata traditio de Immaculato conceptu Virginis, quibus nisi Canonica definitio possit. At vix ulla Divinarum Scripturarum pagella est, (uti loquitur Innocentius I. ad Milevitane Synodi Patres) ubi Divinæ Gratiæ necessitas non magnopere commendetur. Vix novi quidpiam de Divinis auxiliis fingi, statuique potest, quod a Synodis Africanis, Patribusque hæreticos Pelagianæ debellatoribus, non fuerit in antecessum occupatum, ac minutatim disputatum. Quibus omnibus Ecclesiasticam de rebus controversis definitionem superstruere, facile est.

Sed nec illud omittendum hoc loco; eam fuisse hæcenus Ecclesiæ Catholicæ providentiam, ut, etsi nonnunquam ab edenda solemnī definitione temperavit, peculiari nihilominus studio, famini semper, atque tutiori doctrinæ tuendæ providere. Sic legem præmittendæ Confessionis Sacramentalis, dum quis, peccati mortalis sibi conscius, ad Eucharistiæ Sacramentum accedit, ita factam, ut testantem voluit Concilium Tridentinum, ut illos excommunicatione petierit, qui seus docere, ac prædicare præsumerent. Sic Viennense Concilium sub Clemente V. eorum Theologorum sententiam, qui gratiam informantem, atque virtutes parvulis etiam in Baptismo conferri docent, probabiliorē pronuntiavit, & Sanctorum Patrum assertionibus consentaneam. Nusquam tamen Ecclesiæ cuique licitum fecit in gravissimis controversiis, quibus stat Religionis Catholicæ fundamentum, pro arbitrio, & ingenui libertate lætare.

## §. 4.

Obiectant ultimo tandem loco Novatores, partem adversam nova etiam vocabula in Ecclesiā induxisse: utpote, quæ *Physicæ prædeterminationis* vocem, Patribus ignotam, usurpet;

Quibus breviter reponimus, nolle nos de vocabulis disputare, modo de doctrinæ capite confiteri: *Judaicæ quippe perfidia genus est, relictiæ rebus, syllabas consecrari*; ut alias inquiebat Gregorius Nazianzenus. Gratiam se ipsa efficacem in solemnibus Congressibus propugnāvimus; quæ Deus movet hominis voluntatem ad singulos pietatis actus, non solum interius suadendo, invitando, & excitando moraliter, verum etiam active, proprie, ac vere efficiendo, ut liberum arbitrium infallibiliter consentiat. Rursus hanc Divinæ gratiæ efficaciam ex Dei in hominum voluntates omnipotentissima virtute, atque dominio oriri, defendimus, quovis exploratrici scientiæ mediæ semoto lumine. En nostræ doctrinæ summam, de qua potissimum a Censoribus pronuntiatum est. Id si nobiscum admiserint adversarii, nulla, aut certe minima supererit de nomine controversia. *Physicæ* quidem *Prædeterminationis* nomen ad id significandum usurpāvimus, nec immerito; quod aliis pene omnibus voculis adversæ partis Actores abuterentur, nostrique dogmatis summam eo vocabulo congruentius explicari, putaremus. Quid vero, si novum illud utcumque videri posset? Observat siquidem eleganter Cardinalis Baronius ad annum 496, Ecclesiā ad nova interdum vocabula usurpanda cogi, ob singularem hæreticorum audaciam; qui, cum tritis sæpius vocibus abuterentur, catholicos pene invitos ad novas etiam usurpandas impellunt. Hinc Confubstantialis, Deiparæ, Transubstantiationis vocabula necessario usurpata, ut antiqua Ecclesiæ fides adversus Hæreticorum dicitatem exponeretur: *Nova, inquit, in Ecclesia Catholica opus fuit excogitare vocabula, cum hæretici, prioribus abusi vocabulis, simpliciter proferrere solitis, ex illis suam ipsorum sententiam voborare, conati sunt.* Sic & nos pari necessitate compulsi sumus, *physicæ Prædeterminationis* vocabulum usurpare; ut gratiæ se ipsa efficacis omnipotentissimam, insuperabilem, & indeclinabilem energiam, ab Augustino contra Pelagianos assertam, significemus; id a nobis exigente adversæ partis dicitate, quæ aliis quibusque vocabulis licentius abutitur.

# DE JURAMENTO, QUO

## ACADEMIA SALMANTICENSIS

S. Augustini Doctrinæ, & S. Thomæ  
Conclusionibus docendis se addixit.

NEC NON DE EJUSDEM JURAMENTI

## APOLOGIA, EXCERPTUM

Ex quibusdam mss. Doctrinæ Augustiniane Vindiciis.

Hæc erant exterorum, hæc domesticorum adversus Molinæ novitates consilia; nec illi tamen a proposito dimoveri poterunt, qui illud tenacius assumpserant. Sed cum viderent, se in validissimam turrim Doctrinæ Augustinianæ, tot Pontificum, Conciliorum, & SS. Patrum testimoniis munitam, sicut Turris David, quæ edificata est cum propugnaculis, ex qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium, in cassum ardetare; altum militarem imitati, statuerunt, suffocis cuniculis, fundamenta illius evertere, & auctoritatem convellere. Hinc tentarunt approbationes, & testimonia, quibus illa vallatur, infringere, & deterere; navos, errorisque doctrinæ affingere; variis in personam, & ejus dogmatum capita congestis calumniis, nomen, & existimationem in contemptum adducere: ut sic pessumdanda auctoritate, & reverentia, detestationem quoque ejus, quem impetebant, obtinerent, & doctrinam orthodoxam, atque utilissimam, ob personæ invidiam, vilifacere prævalerent, curamque exterriti lectoris ab his, quæ infamassent, averterent. (1)

Conspirationem istam, in Ecclesiæ, & fidei Catholicæ exitium vergentem, inter primas dextit celeberrima totius Monarchiæ Hispaniæ Academia Salmanticensis, doctrinæ Augustinianæ plurimum studiosa. Si quidem perferentibus, S. Augustinum in dies magis, magisque vilifecere, & non tantum Augustinum, sed una quoque individuum ipsius sectatorem, Thomam Aquinatem, qui *B. Augustini vestigia insequens*, (2) Ecclesiā doctrinis, & scientiis quamplurimis adornavit: audiebat in scholis suis tirunculos, Præceptorum suorum exemplo, ad allegatam Doctrinam istorum auctoritatem, contemptum reponere *Transat Augustinus, transeat D. Thomas*, & vilipendium illud paulatim ita crebrescere, ut brevi præclara ista Ecclesiæ Lumina modernorum lychnis accenserentur.

Itaque, pro innato sibi zelo in tuenda fidei, & doctrinæ, præsertim Augustinianæ puritate, gliscenti sentim veneno antidotum efficac adferre, statuit.

Negotium primo discutiendum committitur congregationi octodecim virorum & primoribus

Serry Tom. II.

Academici, scientia, & rerum usu præstantissimis, tam Theologis, quam Jurisperitis. Proponitur imminens malum, & erumpens in SS. Patres insolentia. Agitur de remedio opportuno; idque, ut rei momentum exigebat, per plures dies. Atque interea, ne quid levius in re tanta statuatur, aut humani aliquid irrepat, adhibentur a religiosissimis Familiis ad Deum preces, sacrificia, jejunia, & carnis macerationes: ac tandem illud unicum, & præstantissimum remedium occurrit, ut Professores omnes, & Cathedrarum moderatores Juramento adstringantur doctrinæ S. Augustini, & S. Thomæ.

Propositum desertur ad Concilium Academicum, ventilatur, perpenditur, pressiusque discutitur; ac demum, deposita omni humana formidine, qua nonnulli adhuc tenebantur, ob injectas ab adversariis graves minas, unanimi consensu conclamatum est, Juramentum illud omnino esse præstandum, & religiose observandum, auctoritatemque, & doctrinam Sanctorum Augustini, & Thomæ, tanquam pro aris, & focis, esse defendendam.

Quodque notatu dignum, & ante illud in ista Universitate numquam visum fuerat, quando publice suffragia proferebantur, inter sexaginta, ut minus, vix unum, aut alterum a communi Sententia discrepavit: & dum, pro majori suffragantium libertate, secreto scrutinio collecta fuere, nullum prorsus dissenfit: ut non immerito sapientissima illa Universitas unanimem istum consensum, in tanta suffragantium pluralitate, opinionum diversitate, & partium, ac Ordinum varietate, speciali Divini Numinis inspirationi, & directioni adscribat.

Juramentum autem his verbis exprimebatur: *Juro, in quotidianis lectionibus, quas in Academia vel Cathedra moderator, vel voluntarius Professor legero, me docturum, atque lecturum in Theologia Scholastica Doctrinam Sancti Augustini, & Conclusiones D. Thomæ, quas in Summa Theologicæ docet, ubi horum Sanctorum mens aperta fuerit; ubi vero anceps, & dubia, nihil docturum, neque lecturum, quod eorum doctrinæ adversari senserim; sed quod vel juxta meum sensum, vel eorum, qui discipuli Sanctorum Augustini, & Thomæ communitate cen-*

Nu 2

sen-

(1) S. Prosper in præf. ad Cap. Gall. Item Hincm. Archiep. Rbmen. tom. 2. episc. ad Hincm. Laud. c. 28. A. 1627. (2) Bulla Urbani V.



sentur, tantorum Patrum doctrine magis conforme iudicaverim. Excipio opinionem de Immaculate Virginis Conceptione; & ea, que Jure Ecclesiastico immutata sunt, vel postea immutabuntur, & que cum olim controversa essent, jam Constitutionibus Apostolicis definita sunt. Et si quando Cathedram Scoti, vel Durandi moderabor, quamvis ad id teneri nolo, licere tamen mihi volo, pro eo tantum tempore, probabiles eorum Doctorum opiniones sequi, absque perjury crimine.

Sed, cum adversarii ferre non possent, hoc decreto se, suasque novitias opiniones, Augustino, & Thomæ contrarias, ab Academia ista proscribi; omnem lapidem moverunt, ut illud enervarent, & odium redderent, pulsatis etiam Regis auribus, & suscitatis Aule primoribus, ut aboleretur omnino, vel saltem auctoritate regia minime confirmaretur.

Ut idcirco Universitatis coacta fuerit Statuti sui, præfaticæ Juramenti æquitatem probare doctissima Apologia; qua & adversariorum argumenta, calumniaeque solide refellit, & Sanctorum Patrum Augustini, ac Thomæ, totiusque antiquitatis auctoritatem strenue propugnat.

Huic causæ nomen suum quoque adscripserunt Religiosæ Familiz, Augustiniana, & Dominicana, pro Magistrorum suorum defensione; & communi manu dictam Apologiam supremo Senatui Castellæ porrexerunt, ad obtinendam istius Juramenti confirmationem.

Hoc usi prologo.

UNIVERSITAS SALMANTINA, comitata sacris Ordinibus, Dominicano, & Augustiniano, advoluta genibus supremi Senatus, Statuti causa, quo ab eadem Universitate decretum est, ut omnes Professores Juramento adstringantur, quod in præfationibus suis ordinariis Theologiæ Scholasticæ tradent doctrinam Sanctorum Ecclesiæ Doctorum, Augustini, & Thomæ: rogat humillime, dignetur proposito tam pio, æquo, & ad Dei servitium, Ecclesiæ bonum, Sanctorum Patrum estimationem, utilitatem fidelium, rectam juventutis eruditionem, horum denique Regnorum pacem, & tranquillitatem usque adeo necessario, benigne favere, illud auctoritate sua approbando, & confirmando: quo illi saltem, qui succedent iis, qui istiusmodi Juramentum ex nunc præstiterunt, muniantur adversus omnia, quæ tam publice, quam occulte, adeo laudabili, & sancto Juramento opponi possent &c.

Verum cum in subsequentibus exacte deducant rationes condendi istiusmodi decreti, aliaque referant, in rem nostram facientia; tantisper adhuc pace tua hic digrediar, Philo-Augustine, & præcipua excerptam, ne videar vel cuiquam impingere, vel apologum agere.

Postquam articuli primi §. I. speciem facti fideliter retulissent, ipsiusque Juramenti tenorem, eo modo, quo a nobis superius expressum est, & §. 2. multis argumentis probassent, ad perfectam eruditionem plurimum conferre, ut in qualibet scientia, maxime autem Theologica, probus, & determinatus aliquis Auctor, & Magister discipulis proponatur, subnectunt.

Quæ cum ita sint, (I) quis prudens, & æquus Juxta alios statuer in Theologia Scholastica principes Auctores, præter Sanctum Augustinum, & D. Thomam? Et si quisque probet, Philosophis Aristotelem; Medicis Hippocratem, & Galenum; Mathematicis Ptolomæum, & Euclidem Magistros præfigi; quis agre feret, Universitatem e Theologis Scholasticis sibi in Magistros elegisse D. Augustinum, & D. Thomam? vel

ne fenserunt, utpote qui ubique cunctis & amor fuerit, & honori. Unde resistendum tamen libus, quos male crescere videmus. "Elogium hoc mire extollit Sanctus Prosper, ut infra dicemus. Joannes Papa II. in Epistola ad quosdam Senatores Romanos, sic scribit. "Sanctus Augustinus, cujus doctrinam, secundum Præceptum decessorum meorum statuta, Romana sequitur, & servat Ecclesia. "Hujusmodi plures alii Pontifices, & Sancti Patres in medium produci possent, qui eodem modo, pari veneratione, & laude doctrinam Sancti Augustini prædicant, ejusdemque firmitati subscribunt. Ex quibus manifeste colligitur, Universitatem hanc, dum Sanctissimum istum Doctorem elegit, & Theologiæ Scholasticæ Magistrum Jurjurando statuit, a Judio Sanctorum Patrum, Pontificum, immo universalis Ecclesiæ nequitiam recessisse: atque idcirco factum ipsius criminari non posse, nisi ab iis, qui tantæ auctoritatis robur continent.

Quod ad Angelicum Doctorem, S. Thomam, atinet, nemo quoque est, qui dubitet, quin jure, meritoque in Magistrum assumptus sit. In hujus autem asserti probationem hoc unum sufficit, quod tantus fuerit, & tam fidelis discipulus S. Augustini, ut merito alter Augustinus nuncupari possit, juxta testimonium Urbani V. in Bulla sua ad Academicam Tholosanam, ubi ait: "Attendentes, quanta a Deo scientia dotatus, Ordinem FF. Prædicatorum, & universalem Ecclesiam illustraverit, ac B. Augustini vestigia insequens, Ecclesiam eandem doctrinis, & scientiis quam plurimis adornaverit. "Hucusque Apologia.

Multis deinde præclaris testimoniis Pontificum, Conciliorum, aliorumque Scriptorum copiose adductis, comprobant doctrinæ Angelici Doctoris auctoritatem. Et tandem §. 4. causas allegant, quæ Universitatem moverunt ad hujusmodi juramentum decernendum, his verbis.

Homines (I) in fide suspecti, qualis Erasmus, immo & jam hæretici, ut Joannes Drusus, dum ipsi objiceretur, quod SS. Patres, atque inter eos Sanctum Augustinum vilipenderent, quasi vero humana fragilitate in errorem lapsus esset, maximopere conati sunt notam illam a se repellere: adeo probrosam censebant. Quod si ita sit, cui unquam Catholicus in mentem veniret ea, quæ hodie experimur, Divos Augustinum, & Thomam fœci fieri, eorumque dogmata novitiis opinionibus postponi, quis crederet? Nitebantur quidem eorum Auctores primum specioso aliquo colore illas adumbrare, afferentes, in sensu, ab ipsis excogitato, intelligendos esse Sanctos Patres, & nominatim S. Thomam, in quem tot calamitates acuebant; sed cum nihilominus mens D. Thomæ in illis non eluceret, statuerunt, aperto Marte ipsum aggredi; usque adeo, ut etiam in Scholis & confessionibus publicis, auctoritas ipsius, (quam tamen Concilia plurimi semper fecerunt) non sine gravi scandalo, ludibrio quasi haberetur. Quilibet tirunculus non erubesceret, palam repone ad allegatam auctoritatem itorum Patrum: *Transit Augustinus, transit D. Thomas*; quia illud ipsum audiebant Magistros suos dictantes.

Et in tantum excrevit insolens ista dissensio, ut editus quoque fuerit libellus (cujus Auctor etiam suppresso nomine satis innotuit) inferius: *Judicibus veritatis* (contemptam videlicet Sanctorum Patrum veritatem indigitabat) qui si bene inspiciatur, non nisi farraginem continet

convictorum, & injuriarum in Angelicum Doctorem, cujus excellentias, & miracula non veretur rejicere, & negare.

Unicus vero ipsius scopus est, doctrinam Sanctorum Patrum fugillando, eorumdem quoque auctoritatem deterere: atque, ut unicuique sit major opinandi libertas, vult, citra discrimen, Scriptores quoslibet eodem ordine, & loco esse censendos: quod profecto ita periculofum est, ut, illo dato, vix quidquam certum, aut stabile in fide nostra esse possit.

E suggestis, ac cathedris audaci temeritate in Angelicum istum Doctorem insurgebatur. In ipsis profrenis doctrina ejus exhibebatur sub persona Lucifuge, ac deficientis; adeo ut illi ipsi, qui eam sanam, & veram esse judicabant, eandem nihilominus detrectarent sustinere.

Stante itaque, vel crescente potius procaci ista audacia; pio zelo succensa hæc Academia, arma arripuit, signaque explicuit in Sanctorum Patrum istorum defensionem; parata, qualibet etiam ipsorum causa pati, sola spe præmii, quod apud æternum Judicem illos manet, qui Doctorem Ecclesiæ existimationem, & doctrinam fideliter fecerant, ac strenue propugnant.

Ponderabat deinde attentius, quanti referret, horum Sanctorum Patrum auctoritatem fatam, tectam tueri, ac tunc vel maxime, dum tanta licentia, & despectu Sanctos Ecclesiæ Doctores, recenter editis libris, & viva voce, nonnulli insultant, & persuadere nituntur, sublimia hujus ævi ingenia non placitis veterum Patrum adstringenda, sed cuique liberum esse debere, pro sententia sua opinari.

Quocirca cupiens hæc Universitas tantis malis occurrere, certa, se reliquis Ecclesiæ Doctoribus consentire, quamdiu Sanctorum Augustini, & Thomæ, qui aliorum compendia quodammodo sunt, & organa, sententiis adhereret; agnovit, nomini, & debito suo minime fieri satis, si tantummodo, ut vulgus solet, Catholica dogmata tueretur; sed potius muneris sui esse, ea pro viribus ita stabilire, ut ne vel minima defectionis, aut levitatis suspicio in doctrinam suam cadere posset: quod se obtenturam, minime dubitabat, ubi veterum vestigiis, quæ hæcenus tutissima habita sunt, insisteret, & non solum Evangelica præscripta, verum etiam Sanctorum Patrum dogmata, ab Apostolis accepta, & per ipsos ad nos transmissa, studiose sectaretur, & traderet. Consideravit insuper, Christum Dominum, qui præ cæteris virtutibus humilitatem assidue inculcavit, Ecclesiæ suæ gubernacula, non tumidis, ac licentiosis, sed humilibus, & candidis ingenis commisisse.

Solertes quoque belli Duces, dum arcem aliquam a potenti hostium insultu defendendam suscipiunt, in id præcipue incumbunt, ut inimicus ab ea procul arceatur: in quem finem munitionibus, & propugnaculis locum ipsum, & vicina fortiter cingunt, utpote non ignari, se brevi superandos esse; ubi femel hostile robur ad ipsa mœnia fuerit admotum.

Arx, cujus defensionem invigilant, & allaborant Universitates, est fides orthodoxa: hujus propugnacula, valla, & munitiones sunt SS. Patres; quibus everfis, ac superatis, arx ipsa profecto periclitatur; adeoque studendum summopere est, ut illis debite prospiciatur.

Quo magis itaque hæretici moliantur, doctrinam, & auctoritatem Sanctorum Patrum labefactam, sub prætextu, quod, ut homines, potuerint errare; eo generosius, & majori sollicitudine



ne tenentur Universalitates illas copugnare. Primus enim fundamentalis lapis cuiusvis erroris est, ipsos veritatis Patronos, Sanctos Patres nimirum, impugnare, & contemnere. Concilia œcumenica respicere, manifesta est hæresis; doctrinam autem Sanctorum vilipendere, vel eorum auctoritatem convelle, propriis ingenii viribus innitendo, perniciosa est arrogantia, e qua graviora dein mala nata sunt pullulare: hunc, vel illum errorem alicujus Sancti Patris perperam in exemplum adducere, non confirmanda veritati, sed prætexenda potius imprudenti opinandi libertati, in contemptum Sanctorum Patrum, quorum dogmata quamvis sint ab hominibus prolata, summa tamen cum veneratione accipienda sunt, & sectanda.

Hinc cœpit Calvinus venenum suum spargere, teste Magistro Cano de locis Theol. Lib. 7. Cap. 3. dum, ut apud Regem Galliarum Franciscum imprudentiam Lutherianorum excusaret, Catholicorum innocentiam tradidit, & Sanctorum Patrum doctrinam contempsit, sub prætextu, quod Sancti illi Viri multa ignorarint: quod hodie Divis Augustini, & Thomæ etiam obijci audimus.

Sed pressius hæc discutiamus; & constabit, incredibile esse, quod Supremus Senatus jure dubitare possit de concedenda petita confirmatione. Exploratum namque est, necessariam omnino esse in Ecclesia Catholica doctrinæ uniformitatem; prout infra patebit. Nec est, qui dubitet, quin doctrina S. Augustini, & S. Thomæ in Theologia scholastica sit omnium maxime comprobata, & tuta; istique SS. Patres, ea in parte, inter cæteros Doctores sint facile principes, quod in superiori §. demonstratum est. Insuper compertum est, quod Senatus hoc unum, pro munere suo, in votis habeat, ut juvenus probis, & securis institutis erudiatur; nec tanta sit opinionum diversitas, & licentia, unde tot nascuntur contentiones; utque auctoritas, & existimatio Sanctorum, Augustini, & Thomæ illata, intactaque fervet; immo vero crescat, & firmetur apud infideles doctrinæ ipsorum cultus, & amor. Nefas quippe esset ambigere, quin illud semper Senatus summis studiis optabit, ut istorum Patrum dogmata animis fidelium imprimantur; validiusque patrocinabitur honori, & nomini istorum doctorum, quam novitatis modernorum sectis, quæ, quot habent capita, tot sententias. Illud denique certum est, existimationem istorum Patrum hic in terris magna ex parte modo pendere a determinatione Concilii: eo ipso enim, quo petitam confirmationem negabit, vires addet libertati, hoc ævo primum exurgenti, qua doctrina ipsorum adeo vilipenditur; & robor modernis novitatibus, quæ potius toto nisu compesci deberent.

Plurimum haud dubie valet exemplum Principis; facileque in sententias suas populum trahit. Quocirca, si Senatus stet a parte Sanctorum Augustini, & Thomæ; illico in eandem universa hæc Regna accurrent. Immo illimet, qui hodie ipsi contradicunt, deposita omni animositate, manus dabunt, primique volent doctrinam ipsorum sectari, & illustrare: solet enim magno apparatus eo ferri populus, quo Regis animus inclinatur. Patuit illud, imperante Assuero; siquidem vix favit Religioni Judaicæ, & amoto Aman, Mardocheum assumptit ad Ministerium Regni, cum statim plurimi Gentilium ad eandem Religionem, & cæremonias transierunt: tanti referat auctoritas Regia confirmandæ Religioni: In tan-

tum, ut ait facer textus, ut plures alterius gentis, & sectæ, eorum Religioni, & cæremoniis jungerentur; grandis enim cunctos Judaici nominis terror invaserat.

Quod si in hoc rerum statu Concilium Regium per sententiam declaret, iniquum esse, & revocandum Statutum; & Juramentum, quod Universitas tunc insignis, & celebris decrevit, præstandum in defensionem Sanctorum, Augustini, & Thomæ; quis dubitet, quin multo audacior fieret hodierna licentia contemnendi istos Sanctos Patres, plurimumque auctoritati ipsorum in his Regnis decederet, & e contrario effrenate recentiorum Theologorum opinandi libertati multum ponderis adderetur? Quid enim sibi persuaderent indocti, & plerique rudiores, si, reprobatum Statuto sequendi absque oppositione Sanctos, Augustinum, & Thomam, approbaretur libertas pro cuiusque cerebri captu sentiendi in Theologia scholastica; nisi potiora esse Neotericorum commenta doctrina istorum Patrum, quæ originem suam ducit ab ipso Evangelio?

Quæ res profecto magni momenti esset in Rep. Christiana, multumque deploranda cum Sancto Paciano, Ep. I. ad Sempronium: *Et nostram potius auctoritatem Patres sequentur? & emendanda Sanctorum cedit antiquitas? & jam præterita vitis tempora canos Apostolicæ antiquitatis erudent?* ut proinde jure merito pro Sanctis, Augustino, & Thomæ, credendum sit, quod simile quid nequitiam in animum tam catholicis, & sacri Senatus cederet: alias quis non dederet horum temporum infelicitatem, ubi videret, venerandam antiquitatis canitiem evelli, & duo hæc præclarissima Ecclesiæ lumina extingui; injuriam autem, & contemptum ipsorum confirmari.

Siquidem non erubuit recentior aliquis, doctrinam S. Augustini de peccato originali, cui maxime operere infudavit, a se male intellectam, his verbis fugillare. (1) *Verum opinio Augustini, hoc modo intellecta, Theologis scholasticis non probatur; & merito, ex ea enim cognitur, incidere in sententiam Pelagii; cum tamen sententia Augustini, quoad rationem formalem peccati originalis, certa sit, & verissima. Immo ille ipse Auctor, postquam plures alios retulit, qui doctrinam istius Sancti Patris recte, & cum magno in scriptis ipsius fundamento intellexerunt; illos nihilominus respuit; studetque, quod alias frequenter in suis operibus, errores falso imputare. Ille nimirum, qui multos paragraphos, & numeros interdum impendit, ut placita quorundam Scholasticorum parvi nominis astruat, & de illis quodammodo fide jubeat, immo etiam quorundam hæreticorum errores defendat; prout manifeste constat ex ipsius operibus, ubi Anomæos Hæreticos excusat: dum iterum rigidum Continentem agit Sanctorum Patrum, & quidem in materia, quam Anglicus Doctor, & cum ipso quotquot Catholici Scriptores eam tractarunt, & in vero, & proprio sensu veterum Patrum explicarunt.*

Similiter in materia de Prædestinatione, gratia, & libero arbitrio, cui elucidanda Sanctus Augustinus omnes ingenii sui nervos intendit, calamumque suum, quam potuit, subtilissime acuit; & in qua Ecclesia Catholica tantum illum facit, & veneratur, ut Sacrosancta Concilia decreta sua verbis ipsius formaverint, ut ex illis ipsis dilucide constat; & ex Epistola Hormisdæ Papæ ad Possessorem: quidam Neotericus (2) ausus fuit, asserere, quod, dum Sanctus Augustinus, tenebris obvolutus, in prædicta materia non percipit, quæ ipse postmodum penetravit, multi fideles disputa-

tionibus ipsius, & sententiis fuerint turbati, a fide defecerint, atque ad partes Pelagianorum transierint.

Sed operæ pretium est, ipsiusmet verba referre. Interim vero, inquit, dum, sub ea quasi caligine, D. Augustinus ad hoc non attendit. *Quæ si semper data, explanataque fuissent; forte neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque ex Augustini opinione, concertationibusque cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, atque ad Pelagianos defecissent.* Parcimus hic istorum Scriptorum nominibus; quæ, dum Concilio liberit, proferri poterunt. Omittuntur etiam, brevitati causa, plures alia hujusmodi Censuræ, quibus recentiores aliqui, cum parva admodum veneratione, de Sanctis Patribus loquuntur.

Quid autem in his temporum circumstantiis, quibus præstantissimi illi Ecclesiæ Doctores, Sancti Augustinus, & Thomas, tam vili habentur, de jure, & debito agendum sit, præscribit olim Sanctus Prosper, fidelissimus D. Augustini discipulus, in principio libri contra Collatorem. Indignabatur enim iusto zelo in quosdam Gallia Episcopos, qui tunc temporis doctrinam ipsius de Prædestinatione, & gratia impugnabant, illumque his verbis expressit. *Gratiam Dei, quæ Christiani sumus, quidam dicere audent, a sanctæ memorie Augustino Episcopo non recte esse defensam, liberosque ejus, contra errorem Pelagianorum conditor, immoderatis calumniis impetere non quiescunt. Quorum intus interstrepens domestica malignitas non minus spernenda est, quam fors latrans hæretica loquacitas, nisi, ejusdem extra ovile dominicum lupis, sub nomine orium suffragaretur; essentque hujusmodi, ut nec Ordo eorum in Ecclesia, nec ingenia despicienda videantur: si quidem habentes speciem pietatis in studio, cujus virtutem distentur in sensu, trahunt ad se multos invidiosos, & non habentia Spiritum discretionis corda conturbant, atque in eum statum deducere causam Ecclesiæ moluntur, ut, dum nostras affirmant non veraciter pro Gratia locutos, imitatos gratie persuadent injuste damnatos esse. Non ergo negligendum est hoc malum, quod ab oculis, prævisque seminiibus augetur quotidie, & ab oru suo latius, longiusque distenditur: sed studendum est, in quantum Dominus adjuvet, ut salacium Calumniatorum hypocrisis deagatur; qui ex ipsa injuria magnitudine, quam in uno (Sancto Augustino) cunctis, ac præcipue Sedis Apostolicæ Pontificibus, intulerunt, ab indoctis, & parum cautis, excellentioris scientiæ judicantur; & misero, perverseque successu, facilem mendaciam consensum eliciunt, quia reverentiam sibi presumptione pepererunt.*

Verba ista merito sunt ponderanda, conferendo casum, de quo loquitur Sanctus Prosper, cum præstanti, servata proportione, & rerum circumstantiis; & attendendo, quod non agatur hic de preventibus, aut opibus temporalibus, sed de honore, & observantia, debita Sanctis, Augustino, & Thomæ, eorumque doctrinæ. Expendamus itaque consequentiam, quam deducit Sanctus Prosper, qui ex ipsa injuria magnitudine, inquit, quam in uno (idest Augustino) cunctis, ac præcipue Apostolicæ Sedis Pontificibus, intulerunt, ab indoctis, & parum cautis, excellentioris scientiæ judicantur. Quis enim dubitat, quin, si modo rejiceretur, & improbaretur Statutum illud Universitatis, unuquodque judicaret, victoriam tribui adversariis istorum SS. Patrum; eorumque dogmata posthac potius essent despectui, quam venerationi?

Considerandum quoque est, quod illi, de quibus agebat tunc temporis Sanctus Prosper, non essent hæretici, sed Catholici, & hujusmodi qui-

dem, qui scientia sua, & eruditione magnam sibi reverentiam, & auctoritatem pepererant, uti loquitur idem Sanctus; & nihilominus censebat, ipsos non posse contrarie doctrinæ Sancti Augustini, sine manifesta injuria, & detrimento totius Ecclesiæ Catholicæ.

Facti sui exemplum habuit Academia ex Epistola decretali Cœlestini Pontificis, ad quem, uno anno circiter post obitum S. Augustini, qui juxta Baronium contigit anno 431, recurrerunt S. Prosper, & Hilarius, ut ipse auctoritate sua Apostolica compecceret multorum Catholicorum audaciam, qui ex tunc incipiebant, adversus doctrinam S. Augustini insolenter insurgere, statimque Pontifex litteras desuper expedit, in quibus, præter alia, hæc habentur, quæ Statutum Universitatis, & zelum, quem pro debito suo hac in re ostendit, multum confirmant. *Quod illic spiritus est, ubi, Magistros tacentibus, hi loquuntur, qui, si ita est, discipuli non fuerunt? Timeo, ne convincere sit hoc tacere: timeo, ne magis ipsi loquantur, qui permittunt, illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas; quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Merito namque causa nos respicit, si cum silentio possumus errare. Quinam potius, & reclusi, fove Sedem Apostolicam, nisi universitatis competer, hujusmodi insolentiam in studiis suis, & Scholis preprimere, designando discipulis probatos Magistros, quos sectentur? Et si in eo deficeret; parereturque quotidie in consensibus suis publicis, ut licentiosissimi Juvenus debitam Sanctis Patribus venerationem exueret; quisque sanus merito judicaret, Universitatem tam enormis delicti, & audaciæ esse complicem, quandoquidem & videret illa, & dissimularet.*

Prosequitur Cœlestinus: *Ergo corripiantur hujusmodi; non sit his liberum habere pro voluntate sermonem.* Quæ verba profecto sunt notatu digna, ut non tam facile permittatur doctrinam, & opinionum libertas, contra istos SS. Patres. Et mox subjungit: *Destinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare. Conantur sepe naufragia mergere, quas, intra portum stantes, statio facit sibi securus.* Fida quippe est omnium statio, quoniam perfectis gressibus vestigia non moventur. Hic unicus scopus est, quo collimavit Universitas, dum istud Juramentum decrevit, comprimere scilicet, quantum in ipsa erat, istam Reip. inquietudinem, & illibatam servare auctoritatem, reverentiamque, debitam doctrinæ Sanctorum, Augustini, & Thomæ.

Sententiam istam Cœlestini Papæ multum exaggerat Sanctus Prosper loco supra citato, his verbis: *Sancto manifestavit eloquio, (Cœlestinus nempe) quantum sibi illius præsumptionis novitas displiceret, qua audent quidam, adversus antiquos Magistros insolenter insurgere, & indisciplina calumnia predicationi veritatis obstrepere.* Quæ si ita sint, eo ipso quoque comprobatur factum Universitatis, in his saltem rerum circumstantiis; colligiturque, illud fuisse omnino necessarium, præsertim, dum jam recentiores, & novelli audebant, in venerandam Sanctorum, Augustini, & Thomæ canitiem insurgere; & insistens veltigis, decretificæ Pontificum, voluit securitati suæ consulere, adstringendo se doctrinis istorum Patrum; ipsoque agnoscendo inter præcipuos Ecclesiæ Magistros. Illud ipsum, quod hisce temporibus experimus, expressit Cœlestinus; & mandat, ut coercerentur, ac corripiantur illi, qui doctrinam Sancti Augustini nolunt admittere. Dispiciatur itaque, utrum magis expediat Statutum illud, quo Academia se subiecit, & alligavit doctrinæ istorum Patrum; an vero licentia illos respuendi, & impugnandi. Et si hoc

(1) Vasques 1. 2. Disp. 123. C. 3. (2) Molina,



hoc posterius improbetur, juxta mentem prædicti Pontificis, nulli dubium esse potest, quin Senatus in eandem quoque sententiam veniet, & decernet, ut vestigetur talibus, quos male crescere videmus.

Docilitas est virtus, æque necessaria discipulo, ac Magistro; vix enim intrui quis poterit, nisi velit, se doctrinæ subicere. Quod si animadvertat discipulus, Magistrum suum parvipendere Doctores Ecclesiæ; nec ipse doceri poterit, neque Magister docere. Ita censuit D. Thomas 2. 2. q. 49. art. 3. ad 2. & 3. dum ait, *Quod ad ejus consummationem plurimum valet humanum studium, dum scilicet bono sollicite, frequenter. & reverenter applicat animum suum documentis Majorum; non negligens ea præter ignorantiam, nec contemnens propter superbiam. Quæ autem major superbia exurgere potest, quam non solum nolle, se subicere Sanctis, Augustino, & Thomæ, sed ipsi etiam contradicere? Hoc in Magistris, & Professoribus requirit hæc Academia, ut veram estimationem, & auctoritatem sibi comparent. Idem quoque intendere dicenda est sacra Religio Societatis Jesu, dum, non sine speciali instinctu Spiritus Sancti, in Constitutionibus suis sancivit, 4. p. 1. c. 5. §. 4. *Siquis in quavis Facultate securiorem, & magis approbatam doctrinam, & eos Auctores, qui eam docent. Quibus verbis sufficienter declarant istarum Constitutionum Auctores, quanti referat, esse docilem, & se subicere doctrinæ antiquæ, certiori, & probatori. Atque, ad particularia magis descendendo, addunt c. 14. §. 1. *Generatim (ut dictum est cum de Collegiis ageretur) illi prælegatur libri, qui in quavis Facultate solidioris, ac securioris doctrine habebuntur. Ut autem ejus rei exemplum exprimerent in Theologia, §. 2. ubi præscribunt, & determinant, quinam sint illi Auctores, qui solidiorem, & securiorem doctrinam continent, non invenerunt alium inter Doctores Theologos præstantiorem D. Thomæ; ita enim statunt: *In Theologia legatur Vetus, & Novum Testamentum; & doctrina scholastica D. Thomæ. Sicutque Societas Jesu doctrinam S. Thomæ, ut securiorem, veriori quoque, gravi auctoritate sua comprobavit: qua prerogativa D. Thomas donatus est, ob summam venerationem, qua veteres Doctores semper est prosecutus; & per hoc non solum acquisivit tantam scientiarum plenitudinem, verum etiam omnium Sanctorum Patrum ingenia in ipsum quasi confluisse videntur. Notavit hoc eleganter Cajet. 2. 2. q. 148. art. 4. *Quia summe veneratus est Deus Thomas Sacros Doctores; ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est. Pronam hanc venerationem religiose colere statuit hæc Universitas: an vero Juramentum istud æquum sit, & pium, judicio prudentiorum relinquatur. Quod si Professores ipsi, & Magistri parvipendant antiquos Doctores, vix fieri poterit, ut ipsi a discipulis suis honorentur. Argumentum est D. Athanasii in Epist. ad Episcopos Africanos: *Quisne enim eorum sibi persuadebat, si solvere aliquid ex decretis Majorum, occasionem se daturam posteris, ut, quod ipsi egissent, rescinderent. Et mox addit: *Quomodo eos, quibus successere, Patres suos appellabunt, quorum sententias ipsi culpant? Aut quomodo ipsi venient apud suos discipulos habebuntur, quibus persuadent, Præceptoribus credendum non esse? Quisquis Majorum suorum vestigiis non insistit, frustra credit, se poteros habiturum sui sectatores. Quomodo denique discipuli Magistros appellabunt Sanctum Augustinum, & Thomam, si Præceptorem suum videant ipsorum dogmata explodere? & quid exinde, nisi me-*******

rum chaos, & perniciofa confusio, oriri potest? Ac per consequens ex allegatis appret, & insolentiam horum temporum licentiam, & insolentiam Universitatem cogessit, ut hujusmodi Juramentum præstandum decerneret. *Hucusque Apologia.*

Idem argumentum prosequitur doctissimus ille Cœtus, subsequentibus paragraphis, ex quibus pauca adhuc desumam. §. 5. n. 39. hæc habet.

Perpendebat (1) Universitas, quod amplam licentiam permittere suis Professoribus pro libitu opinandi in Materis Theologicis, absque ulla submissione, aut dependentia a præcipuis Ecclesiæ luminaribus, nil aliud esset, quam ipsos nimia curiositate exponere, & habenas solvere Theologiæ, ut per insolita, peregrina, & hæcenus incongnita vagetur: quæ tamen principaliter instruta est, ut veritates revelate perfecte discutiat, mores instruat, & conscientias dirigat. Et licet Universitas nec velit, nec possit, recentes doctrinas passim condemnare; nihilominus, cum non immerito audeat se inter primas Orbis Christiani Academiis numerare, hoc unum fludet, ut tam Professores sui, quam discipuli sententur, quod in Ecclesia Catholica maxime tutum, antiquum, & comprobatum habetur; & idcirco, tanquam Duces, & Magistros, ipsi proponit S. Augustinum, & Thomam, de quorum doctrinæ securitate, ac soliditate abunde superius §. 3. dictum est.

Hæc ratione Universitas suæ existimationi consultit, & auctoritati quoque Facultatis Theologicæ, ejusque Professorum, dum scilicet horum temporum novitates nullo modo admittit, sed potius pro virili sua illas cohibet. Quotidiana enim experientia didicit, Theologiam scolasticam hoc tempore eidem ferme mutationi, & veritati subicere, est mores, & indumenta, & sub hac inconstantia veritatem periclitari, & ipsius Theologiæ auctoritatem imminui; ut olim dicebat Sophronius, teste Socrate lib. 2. hist. Tripart. cap. 34. dum in Concilio Seleuciano referentur sententiæ Acacii: *Si per singulos dies propyam edere fidem liceret, veritatis integritas non diu manebit. Similiter de quodam Frenide, qui se magnum musicum iactabat, refert Plutarchus, quod citare sue novem fides apposuisset; accessit autem Ephorus, & duas ex illis detraxit, inquit: *Noli depravare Musicam: præsi Cantores non noverunt nisi septem choros, quibus aliquid addere, ac Musam pro simpliciter reddere operosorem, erit artis corruptela.**

Per plures annos dogmata Ecclesiæ pro majori parte conservata fuere in doctrina S. Thomæ, sic ut nullæ alie illi prævaluerint: & quamvis hæc, aut illa Schola ex antiquioribus, ut puta Scotistica, magnam sibi quoque auctoritatem acquiserit, & tute frequentaretur; non idcirco tamen eruent bello inter se pugnant, sed ad erudendam taxat veritatem quandoque inter se velitabantur. Hoc autem moderamen turbarent recenter introductæ opiniones, & antiquis omnino dissentientes; idque sine alio fructu, quam comparandæ sibi vanæ gloriæ ob excogitatas novitates. Nam si novitia illa commenta, quæ hodie adinventur, vel eruantur et profundo illo silentio, sub quo jam olim ab Ecclesia sepulta sunt, coinciderent cum sententiis S. Augustini, & Thomæ, vel Scoti; haud dubie, prorsus aliter, & e converso vellet eas Auctores proponere, ut saltem istam laudem, & gloriam reportarent, quod aliquid novi, & a SS. Patribus illis diveris, produxissent. Substitit aliquando Agelasius, Rex Lacedæmoniorum, referente

Eraf-

Erasmo in Apophthegmatibus, ut ædificium quoddam spectaret, cujus trabes quadratæ erant; cumque ab ædium Domino percunctaretur, utrum in regione ista arboræ quadratæ nascerentur, respondit, rotundas crescere; fed ex rotundis arte quadrari: cui Rex, quid? Ergone, si nascerentur quadratæ, faceretis rotundas? Doctrina Ecclesiæ ab origine, & Apostolorum tempore tradita est, ut ita dicam, rotunda, sphaerica, & in forma perfecta: eo modo, & forma eam quoque conservarunt SS. Patres, quorum omnium compendia fuere SS. Augustinus, & Thomas. Sed non defuit, qui conatus est, illam quadratam reddere, & si nata fuisset quadrata, vellet eam rotundare. Illud est, cui Universitas intendit obviare, ut, quandoquidem doctrina Ecclesiæ ab Apostolis formam sphaericam acceperit, & SS. Patres sub eadem illam custodierint, illibata quoque servetur a Professoribus Universitatis. Decretum illud auctoritate Senatus confirmari, postulat, ut hoc modo ingenia, novitatum cupida, penitus secludantur: quæ graphice descripsit Hormisdas Papa in Epistola ad Possessorem, qua D. Augustini nomen, & doctrinam mirifice etiam extollit: „Una pernitacis cura propositi, inquit, rationi vellet imperare, non credere: contemptores auctoritatum veterum, novarum cupidi questionum, solam parantes scientiæ rectam viam, qualibet concepta facilitate sententiam; eoufque tumoris elati, ut ab arbitrio suum utriusque orbis parent inclinandum esse iudicium.“

Ista tamen opinionum varietas, & inconstantia, quæ quotidie magis, magisque invalescit sine modo, quid, nisi confusionem, & tenebras inducere possunt, dum ad proximum reductæ, damna irreparabilia in remp. invehunt, regimen animarum, conscientiarum, Magistratum, & ipsius iustitiæ ordinem omnino invertunt? Vix enim est aliqua propositio, quæ facillimo negotio non reddatur probabilis. Necessè itaque est, huic malo, in ipso fonte, & scaturigine, mederi, reducendo, quantum fieri potest, licentiam opinandi ad terminos unius, ejusdemque doctrinæ.

Quænam vero magis una est, & conformis, quam doctrina S. Augustini, & S. Thomæ, qui, tanquam splendida, & purissima sidera, Ecclesiam Dei, per tot sæculorum decursum, absque ullo navo, aut periculo, felicissime illustrarunt?

Et num. 56.

Ex hac quoque opinionum diversitate ortum est illud malum, quod plurimi viri pii, & cordati hac ætate deplorant; ut nec Confessarius suos penitentes, nec Jurisconsultus clientes suos ad id, quod tutius, æquiusque est, reducere, aut persuadere possint, eo quod inveniant alii Dialecticos, & Magistros, qui laxiores, & longe differentes sententias sequuntur, seseque facile accommodant inclinationi penitentis, aut consultoris: & interea hi destruant, quod illi ædificant, neque conscientias meduntur, neque tot illiciti contractus, & commercia damnantur, in gravissimum, & manifestum Reip. detrimentum.

Appositum huic rei exemplum refert S. Lucas in Actis Apostolorum. Accusabatur S. Paulus coram Concilio Judoorum, inimicorum Christi Domini, & qui adeo inter se discrepabant, ob sectas Phariseorum, & Sadduceorum, ut discerni non possent, an majus esset odium, quo simul in Christum ferebantur, an quo se invicem insectabantur. Apostolus autem, ut minas ipsorum evaderet, reclamavit se Phariseum, quodque de spe,

& resurrectione mortuorum judicaretur. Vix hæc protulerat, cum, ecce relicta causa principali, tanta inter ipsos excitata est contentio, ut nullo negotio S. Paulus liber evaserit. *Et cum hæc dixisset, facta est dissensio inter Phariseos, & Sadduceos, & soluta est multitudo. Act. 23.* Potuit autem hoc artificio uti Apostolus in illo casu, ubi ipsi adversus fidem conspirabant, ut notat, & asserit D. Greg. lib. 34. mor. c. 4. Chrysoft. in istum locum Actorum; S. Thomas 2. 2. q. 37. art. 1. ad 2. Sed supponamus casum in oppositis circumstantiis, quodque non S. Paulus coram isto tribunali accusetur, sed quidam scielesus, & impius, qui, ut se ab illis eximeret, affereret, se Sadduceum esse, & ob negatam carnis resurrectionem damnari: proculdubio Sadducei quoque Concilium commoverent, ac turbarent; & ipse facinorosus interea, & vincula, & supplicium evaderet. Illi nempe sunt effectus, quos producit diversitas illa opinionum, & sententiarum, quæ quamvis non semper fidem tangant, mores saltem concernunt, in quibus multum periculi versatur. Inde enim fit, ut Confessarius non valeat penitentem ab occasionibus peccatorum avocare, & in viam regiam salutis suæ reducere, quia statim opponet, factum suum esse probabile, & se habere Theologos, qui secum sentiant, immo, si nolit ipsum absolovere, non defuturos, a quibus illud obtineat; sicque peccatis suis, usuris, & lucris iniquis, aliisque vitis inhæret, ac immoritur. In tantum enim probabilitates modo invaluerant, ut vix detur contractus aliquis, quantumvis injustus, qui non habeat suos fautores, ac vindices.

Nonnulli viri pii, & docti, attentius perpendentes generosum hoc Universalitatis Salmanticæ Statutum, considerant, Divinam providentiam hac fortassis via decrevisse, grave aliquod malum quod in materia doctrinæ hisce Regnis imminere, avertere. Quamvis enim, opulante Divina misericordia, tot jam sæculis fidei integritas, & puritas in hac Monarchia illibata servetur; non idcirco tamen illi est omnino debita, & adstricta. Eo enim peccata nostra excreverunt, quantum fidei in penam auferatur; qua vicinas regiones, ac provinciæ castigatas videmus. Quod si itaque illud contingeret, (nam licet per Dei gratiam procul absit, contingere tamen potest, juxta illud Philosophi: *Possibili postio in esse, nullum sequitur inconveniens*) quaritur, quænam essent propugnacula, & munitiones, e quibus fides orthodoxa defendi posset, & conservari in hac Monarchia, nisi Universalitates? Vult itaque Deus, ut omnium prima, ac celeberrima, Jurisjurandi religione se adstringat doctrinis maxime sanis, ac tutis, quales sunt eæ, quas a D. Augustino, & S. Thomæ excipimus: ut nempe dogmata istorum Patrum in Academiis radices firmet, & in discipulorum animis, alte plantata, etiam a teneris amorem, & reverentiam erga istos sanctos illis imprimant, pariterque fucerecant, & hæc ratione per innumeros illos discipulos, quos Universalitates scientiis instruant, & Republica subministrant, ab ea quoque præmemoratum illud malum, & perniciosum avertatur. *Hucusque Apologia.*

Hæc succincte ex doctissima Apologia Salmanticensi, quibus, tanquam clypeis, & castrorum loriceis, Academiam suam a novitatum invasione generosi illi Sanctorum Patrum discipuli tutati sunt.